

dicatores ad imbuendas aeternae salutis indigenas nationes dispersit.

*Non timebit domui suae à frigoribus nivis.* Frigora nivis, corda sunt reproborum, perfidia suae torpore rigentia: de quibus ait Dominus: Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeret charitas multorum. Quae illa utique nive pessime deprimuntur: quae ob primam superbiam meritum de caelo corruens in profunda tenebrarum, nihilominus se velut angelum lucis adhuc stultis ostentare praesumat: habitumque meritorum suorum candori niveo similem, fraudum suarum nescius praefert. Quod quidem Domini & angelorum ejus est proprium, in habitu niveo claritatem suam designare virtutis. Non timebit autem Ecclesia domui suae à frigoribus memoratae nivis: quia Domino pollicente credit, quod portae inferi non praevalebunt adversus eam.

*Omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Mem.* Et sapientia videlicet, ad repellendas haereticas falsorum fratrum doctrinas: & patientia, ad tolerandas apertorum hostium pugnas. Vel certe vestiti sunt duplicibus: quia promissionem habent vitae quae nunc est, & futurae. Nunc in peregrinatione temporali, divino auxilio ne deficiant adjuvi: tunc in patriae perpetuae habitatione divinae gratiae visione, ut felices semper vivant allevati. Item domestici ejus induiti veste sunt duplici: una operis, altera mentis: fidei habentes factorumque velamina: sacramentis videlicet sui redemptoris imbuti, & informati exemplis. Sic enim fit illud Apostoli: Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Possunt autem frigora nivis etiam tormenta aeterna intelligi: quae igne & frigore mixta esse legimus, cum dicitur: Ibi erit fletus & stridor dentium. Fletum quippe oculis, ignis & fumus: stridorem vero dentibus solet frigus gignere. Unde & beatus Job de poenis reproborum loquens aeternis: Ad calorem, inquit, nimium, transibunt ab aquis nivium. Sed ab his Ecclesia domui suae non timebit: quia quicumque pereunt, ad domum illius non pertinebunt, nec veste ipsius spirituali erant induiti, tametsi mysteriis ejus ad tempus videbantur instituti. Denique legimus in Evangeliiis: ejectionem de domo convivii illius hominem, qui vestibus operum non mundis, hanc intrare praesumpserat: & in tenebras exteriores, ubi esset fletus & stridor dentium esse projectum: merito utique in frigora poenae religatum: quia indumentum pietatis habere neglexerat.

*Stragulatam vestem fecit sibi.* Stragulata vestis: quae variante textura solet firmissima confici, fortia Ecclesiae opera, & diversa virtutum ejus ornamenta, significat: de quibus Propheta in summi regis, viri videlicet illius, laude cecinit: Altit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate.

*Byssus quoque & purpura indumentum ejus. Nun.* Byssus, in conversatione: purpura, in effusione pretiosi sanguinis. Byssus namque candidi coloris est: purpureus autem color, & de sanguine animantis, quod purpura vocatur, conficitur: & ipse sanguinis habet speciem. Unde pulchre dictum est à patribus, quia sancta Ecclesia electorum floribus vetnans, in pace habet lilia, in bello rosas. Item quia byssus de terra virens oritur, sed per exercitationes longas ac multifarias amisso humore ac virore nativo, ad decorem candidae vestis perducitur. Purpura autem regalis est habitus. Byssus induitur Ecclesia, cum castigant corpora sua electi, & servituti subjiciunt: purpura autem, cum eandem continentiam, non ob favorem vulgi, sed ad acquirendam beatitudinem regni perennis exercent. Sed hic virtutum habitus in praesenti quidem nescientibus videtur contemptibilis: sed in futuro qualis fuerit manifeste patebit. Unde pulchre in Apocalypsi sua Joannes sanctorum se voces audisse refert dicentium: Gaudeamus & exultemus, quia venerunt nuptiae agni, & uxor ejus preparavit se, & datum est ei ut cooperaret se byssino splendenti & candido. Byssinum enim justificationes sunt sanctorum.

*Nobilis in portis vir ejus: quando sederit cum senatoribus terrae. Samech.* Vir sanctae Ecclesiae: vir cujusque fidelis animae, Dominus est: qui videbatur ignobilis, cum ante tribunal praesidis stare iudicandus: cum probra, flagella, sputa, & ipsam crucis mortem susciperet: sed nobilis apparebit, cum venerit iudicaturus orbem in aequitate, & omnes angeli cum eo. Tunc sedebit, inquit, in sede maiestatis suae, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem &c. Nobilis, inquit, in portis vir ejus: quia vete-

res in portis sedere ad iudicandum solebant: ut venientes ad civitatem aliunde, paratum continuo responsum iudicantis acciperent: & nec rusticos vel pastores insolita urbis aedificia stupefacerent: nec rursum pacem urbis intrinsecus, frequens litigantium controversia scinderet. Nobilis ergo erit Dominus in portis suae civitatis: quia qui etiam nunc contemnendus putatur à multis, ubi saeculi finis affuerit, ubi ingressum patriae caelestis aperuerit electis, jam cunctis parebit sublimis. Sederit autem cum senatoribus terrae. Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.

*Sindonem fecit & vendidit: & cingulum tradidit Chanaan. An.* In linteo sindonis, subtilis interdictio signatur sanctae praedicationis, in qua molliter quiescit: quia mens in illa fidelium spe superna refovetur. Unde & Petro animalia in linteo demonstrantur: quia peccatorum animae misericorditer aggregatae, in blanda fidei quiete continentur. Hanc ergo sindonem Ecclesia fecit & vendidit: quia fidem quam credendo texerat, loquendo dedit: & ab infidelibus vitam redemptae conversationis accepit. Quae & Chanaan cingulum tradidit: quia per vigorem demonstratae iustitiae, fluxa opera gentilitatis astrinxit: ut hoc quod recipitur, vivendo teneatur: Sint lumbi vestri praecincti. Bene etenim nomine Chanaan, qui & gentilem populum procreavit: & interpretatur commutatus, conversa ad fidem gentilitas designatur: quae felicissima commutatione, à vitis ad virtutes, à diabolo transmigravit ad Christum. Unde & in eius laude, psalmus quadragesimus-quartus scribitur: cuius titulus est: In finem prohis qui commutabuntur filiis Chore, canticum pro dilecto. Filii autem Chore, filii calvariae interpretatur: qui sunt filii dominicae crucis, dicentes: Mihi autem absit gloria, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Quomodo autem commutentur, sequentia psalmi ejusdem docent: ubi dilectus ipse, id est Dominus, Ecclesiae dicit: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Commutari namque illam desiderat, quam ut filiam habere valeat, domum patris prioris, id est, hostis antiqui, jubet oblivisci.

*Fortitudo & decor indumentum ejus: & ridebit in die novissimo. Phe.* Fortitudo, ad tolerandam perverforum improbitatem: decor, ad exercendam virtutum gratiam. Decor, quia operatur iustitiam: fortitudo, quia perlocutionem patitur propter iustitiam. Et ideo ridebit in die novissimo: id est, gaudebit in retributione regni caelestis, quae dolebat in certamine vitae praesentis. Mos etenim scripturae est, pro gaudio risum ponere, sicut & Dominus ait: beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Et beatus Job: Os autem veracium, replebitur risu. Similem sane huic sententiam Propheta de Domino ac Salvatore huius fortissimae mulieris posuit, dicens: Dominus regnavit, decorem induit: induit Dominus fortitudinem. Cum enim praedicaret Evangelium regni, aliis placebat: alii bene loquebantur, alii detrahebant, lacerabant, mordebant, conviciabantur. Ad eos ergo quibus placebat, decorem induit: ad eos quibus displicebat, fortitudinem. Imitare ergo & tu Dominum tuum, ut possis esse vestis ipsius: esto cum decore ad eos quibus placent bona opera tua: esto fortis adversus detractores.

*Os suum aperuit sapientia: Ad hoc tantum loquens os aperuit, ut sapientiam doceret: Juxta illud Apostoli: Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus, ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Vel certe os cordis aperuit ad discendam ab ipsa sapientia interioris veritatem, quam alios foris doceret. Utrique autem sensui, quia utrumque fecit Ecclesia, concinapte quod sequitur.*

*Et lex clementiae in lingua ejus. Zaddik.* Illa videlicet, ut non statim more legis Moisaicae peccantes puniret, sed misericorditer ad poenitentiae remedia vocaret. Cujus exemplum clementiae ab ipso Deo & Salvatore nostro manifeste percipit, cum oblata ei peccatrice muliere: Si quis, inquit, sine peccato est, primus mittat in illam lapidem. Et sic eam à crimine quod patrarat, sub conditione amplius non peccandi miseratus absolvit.

*Consideravit semitas domus suae: & panem otiosa non comedit. Coph.* Semitas domus suae considerat, quia cunctas suae conscientiae cogitationes subtiliter investigat. Panem otiosa non comedit: quia hoc quod de sacro eloquio intelligendo perceperat, ante aeterni iudicis oculos exhibendo operibus os-

tendit. Item domus foris mulieris, habitatio est patriae caelestis. Semite domus illius, praecipua iustitia, quibus ad aeternae vitae mansionem pervenitur. Quas profecto semitas anima bene considerat: cum & diligenter quibus actibus ad superna pervenire debeat, inspicit: & quae agenda didicit, sedula exercere non desinit. Panem quoque otiosa non comedit, cum sacrificium dominici corporis percipiens, studet imitari actu quod in mysterio celebrat, multum sollicita ne indignè panem Domini comedendo, & calicem bibendo, iudicium sibi manducet & bibat: sed ut patiendo pro Christo ac lacrymas fundendo, bonis quoque actibus insistendo, passio-nem exempla ipsius quantum valet sequatur. Potest & simpliciter accipi, quod panem otiosa non comedit mulier fortis: juxta illud Apostoli: Qui non operatur, non manducet: & ipse de se: Quoniam ad ea quae mihi opus erant & his qui mecum vident, ministraverunt manus istae. Unde merito luxuriantes vituas arguens adjungit: Simul autem & otiosa discuntur circuire domus: non solum otiosa, sed & verborum, & curiosae.

*Surrexerunt filii ejus, & beatissimam praedicaverunt: vir ejus & laudavit eam. Res.* Quod futurum pro certo noverat, more prophético quasi jam factum refert. Surgent enim filii Ecclesiae, videlicet omnes electi in novissimo, carnis immortalitate donati: & tunc matrem suam quae eos ex aqua & Spiritu sancto Deo genuit, beatissimam praedicant, quae nunc ab infidelibus quasi misera contemnitur. Et revera sicut Apostolus ait: Si in hac tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Quia vero pro vita aeterna praesenti militamus, merito cum apparuerit quod erimus, matrem nostram quae ex omnibus iustis collecta, una Christi columba, sponsa & amica vocatur, beatissimam praedicabimus. Surget vir ejus, & laudabit eam, dicens in iudicio: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c. Qui quidem ipse primitiae dormientium resurrexit à mortuis: sed in die iudicii manifestus omnibus quos sua laude dignos iudicaverit, quanta sit ejusdem suae resurrectionis gloria, demonstrabit. Potest hoc quod dicitur: surrexerunt filii ejus, & beatissimam praedicaverunt: etiam in hoc tempore convenienter accipi, cum quilibet fidelium transcensit saeculi ærumnis, ad caelestia regna perducitur. Sedere namque ad humilationem aliquando, surgere ad gloriam pertinet. Unde & de Ninivitis dicitur in Evangelio: Olim in cinere sedentes poenitentem: id est, in humilitate. Et Propheta: A facie manus tuae solus sedebam: quia comminatione repleti me. Sed & Psalmista: Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Quod est aperte dicere: Quid in praesenti quaeritis gaudere, quod electis in futuro reservatur? Non enim potestis in hac vita: id est, ante lucem supernae retributionis, gloriam verae felicitatis habere: quin potius postquam hic humiliati fueritis ad tempus, illic vos in perpetuum veraciter exaltandos sperate: vos quibus amarum est omne quod saeculi amatoribus jucundum videtur & dulce. Surgunt ergo filii Ecclesiae, & beatissimam eam praedicant, cum caelestibus bonis sublimati, quanta sit illius patriae beatitas, cujus participes esse meruerunt, aspiciunt: & hanc debita laudatione in divina visione concelebrant. Laudat eam vir ejus, cum

bona quae ipse donavit, remunerat. Quibus autem verbis eam laudet, consequenter ostenditur, cum dicitur.

*Multa filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Sin.* Multas filias, Ecclesia dicit haereticorum, & malorum turbas Catholicorum: quae filiae dicuntur, vel Christi, vel Ecclesiae: quia & ipsae sunt dominicis renatae sacramentis, & adoptionem filiorum quam non custodiunt, perreperunt. Unde & Joannes ait: De nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Quae congregaverunt divitias, videlicet bonorum operum, orationes, jejunia, elemosynas, afflictionem & castimoniam carnis, continentiam linguae, meditationem scripturarum, & caetera hujusmodi: quae verae sunt divitiae spiritus, ubi pura mentis sinceritate geruntur. Ubi autem sine fide, quae per dilectionem operatur, sunt: nihil agentibus profunt. Sed & illae filiae frustra congregant divitias: de quibus Dominus ait: Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus: & in tuo nomine daemonia eiecimus: & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Sed omnes istiusmodi filias, Ecclesia Catholica supergreditur, quae fide casta & opere perfecto redemptoris sui vestigia sectatur.

*Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Thau.* Fallax est gratia laudis quam ab homine accipit: vana pulchritudo charitatis vel operationis bonae, quam hominibus ostentat anima quae timore caret divino. At illa conscientia vera est laude digna, quae timorem Dei in omnibus servat. Ipsa est principium cunctarum, cultusque virtutum, scriptura dicente: Timor Domini principium sapientiae. Et iterum: Qui timet Deum, nihil negligit. Hinc est enim quod idem beatus Job: & in prosperitate virtutibus incomparabiliter floruit: & in adversitatibus insuperabilis hostis permanit: quia veraciter dicere potuit: Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum: & pondus ejus ferre non potui. Fallax ergo est simulatum gratia: vanus decor, opera stultorum. Ecclesia autem quae in timore incolarum sui tempore convertatur: quoniam ardentem virtutum lampadas venienti ad iudicium suo sponso offert: jure ab eo laudata, januam cum eo regni caelestis intrabit. Qualiter autem eam laudet, terminali versu docetur:

*Date ei de fructu manuum suarum: & laudent eam in portis opera ejus.* Haec sunt enim verba viri illius, de quo dictum est: Vir ejus & laudabit eam: id est, Domini & Salvatoris nostri, qui angelis in fine praecipiturus est, ut Ecclesiam post hujus vitae certamen, triturationem, afflictionem terrestrium, ad caelestis regis regni gaudia introducant, ac vitae immortalitatis sibi sociam aggregent: juxta illud Evangelicum: Triticum autem congregate in horreum meum. Date, inquit, ei de fructu manuum suarum: quia fructum spiritus ferre curavit, charitatem, gaudium, pacem, benignitatem, bonitatem, modestiam, continentiam, fidem, patientiam: pro hoc illi debitam rependite mercedem. Et laudent eam in portis: hoc est, in iudicio: sive in ingressu patriae caelestis: non hominum favores supervacui, sed opera ipsa quae fecit: examinante, probante, ac remunerante illo, cujus hac donante gratia perfecit. A quo ut laudari mereamur in futuro, concedat ipse propitius, nos cum dignis in praesenti vita colaudare servitiis.